



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Simplicitatis perstudiosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

res ad se pertineret. Eodē deniq; pertinet alacritas, qua opera subiiciebat censuræ omnium, & ad aliorum accommodabat gustum. Nam ideo in opere Mariano paulò aliam tenuit differendi rationem, ac viam, quam in Ioanne Baptista tenebat, quod id cognouit aliquorū magis palato arridere. Totus igitur ex obedientia factus, totus ex humilitate vtraq; sincera, mireque simplici. Eademq; virtutes optabat, ac Deum precabatur vt in Societate nostra in primis florerent. Intelligebat nimirum per illam Sanctorum, qua plenus erat, sapientiam, eas esse maxime capacē celestium donorum materiam, familiaritatis Dei conciliatrices, beatæ pacis tranquillitatisq; parentes, atq; custodes; rerum deniq; bene, & feliciter agenda- rum firmissima fundamenta.

*Simplicitatis
per studiosos.*

Consueuerat supremo tempore ad Tyrones Landspergenses quot annis Friburgo piorū quid monitorum, & ad perfectionem vtilium religio- sæ strenq; loco sub nouum annum perscribere: in- terq; alia pulcherrimum illud impense commē- dat: vt omnes, qui in Societatem dant nomē, ma- ximeq; docti, iamque rebus agendis exercitati ad exemplum proponant sibi puerum Iesum: & o-
bedien-

bedientiam promptissimam, & sapientissimam simplicitatem, quam tenera in ætate ille præstitit, imitari omni ope studeant. In quo cum iam inde à primo matris cōceptu thesauri fuissent omnes scientiæ, atq; sapientiæ Dei, tamen ad decorum se ætatis accōmodans, nec emanare sinens immensam illam lucem, subditus, & obsequentissimus Iosepho, & Virgini Matri erat: & quamuis haud dubiè meliores ipse rerum efficiendarum vias, quæ quo interdum modo imperabantur, nosset, nihilo tamē minus aliena placita obedienter, ac simpliciter sequebatur. Quam obedientiæ formam Canisius haud magnificētius verbo proponebat iuuenibus, quam senior ipse tenebat. Quippe videre erat grandem natu senem, cuius per omnes Ecclesias (hoc enim maximus eum vir Cæsar Baronius Cardinalis ornat Elogio) laus in Evangelio erat; cuius vel conspectum ponebant in beneficio pleriq; Catholicorum, & tanquam ex oraculo edita responsa accipiebant, intra septa domestica velut vnum è numero suas obire vilissimorum ministeriorum vices, purgare scopis domum, tergere in coquina lances: dormire, surgere, vesci, omnia demum ad alienum nutum, hoc est legum, ac Præsidum facere. Quanti